



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

II. Anni 1655. Mensis Martius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

ta, atque consignata sunt, jure ad eum pertinebunt. Nam, ut bene Antonius Balingem ante suos de B. Virgine Ephemeres (a) monuit; *Lu. et dies duntaxat, quo miraculum innotuit, signetur, nihilominus hic ille ipse dies potest à dici, quo miraculum accidit. Quod quidem, non quolibet levi argumento firmari potest, sed ex sacrarum litterarum usu petito, quibus id familiare est, ut tunc aliquid enuntient fieri, cum factum esse demonstratur, aut cognoscitur. Vt Genes. 12. ait DEUS ad Abraham; Nunc cognovi, quod timeas DEUM: id est, cognoscere feci, seu manifestavi. Vt interim sileam, longè ampliorem Deiparæ provenire honorè ex mirabilium eius promulgatione, quàm ex ipso opere mirabili, si lateat, nec ad mortalium aures perveniat. Imò ideo à Numine DEI Genitricis interventu patratur opera ista, supra omnem naturæ facultatem; non quidem ut sub modio deliteant, verum ut sparsa in auras & omnibus explorata, maiorem ei venerationem conciliant.*

## C A P V T II.

Anni MDCLV. mensis Martius.

NONnos annum cum Romulo priscisq; Romanis sed gestas hujus anni res, à Martio ordimur. Et ordimur, non à Cal vel Non. vel Idibus Martii. quia apud Lindam Marianam, neque Matronalia Calend. neq; Vejovis sacra Nonas, neq; ad extremum aut Parricidium Cesaris, aut Annæ Perennæ festum Id. occupant. Quinquatria potius, quæ in quintum ab Id. diè, hoc

Q 9 2

est in

(a) Ad lectorem num. 12. & 13.

est in XIX. Martii seu in XI V. Calend. Apriles incidunt, occupamus, quia eâ luce, divo Iosepho Deiparæ sponso dicatâ, apud Lindam exinde versaturi, missi sumus. Tametsi enim Linda prioribus anni mensibus, Ianuario nempe ac Februario, beneficiis divinis, quæ etiam libro quarto pleraque sunt memorata, vacua non fuerit, tamen ut ipsa rerum natura verno tempore, cui Martius initium dat, sese renovat, & quodammodo reviviscit, ita & apud Lindam pietas atque religio; quæ impeditos hierno frigore nivibusque peregrinos, aliosque etiam in vicino positos, rariores videbat, à Martio potissimum mense multò videt frequentiores: ut hic suo modo locum habeat, quod de mense Martio secinit Poëta (a)

*Quid? quod hyems adoperta gelu, tunc deniq, cedit,  
Et pereunt lapsa sole repente nives?  
Arboribus redeunt detonsa frigore frondes,  
Vividaque in tenero palmitè gemma tumet,  
Quæque diu latuit, nunc quâ se tollat in auras,  
Fertilis occultas invenit herba vias.*

Et verò quàm non malè Quinquatribus, veterum possit cum iis, quæ & alibi, & apud Lindam Marianam agitur, convenire festis, docuit haud indignus Ferdinando utroque Cæsare sive Orator, sive conscientiæ arbiter P. Ioannes Gans, qui, quaternos concionatorios, de quavis quinque solennitatum Deiparæ discursus, quinquatria Mariana appellavit. Quod si aliquid supra nudum Quinquatriorum nomen quispiam hîc desideret, ad ea, quæ Ovidius per singulos

(a) Ovid. Fest. I.

gulos Quinquatriorum dies agitari solita memorat,  
oculos vertat. Sic enim ille canit:

*Vna dies media est, & sunt sacra Minerva;*

*Nominaque à iunctis quinque diebus habent.*

Quòd si quis non quinque duntaxat, sed etiam  
septem intra Quinquatria Mariana velit numerare,  
etiam me auctore fecerit. Vt enim initium eorum,  
tum S. Iosephi sponsi tum postridie S. Ioachimi Pa-  
tris B. M. Virginis, ita finem eorum excipiunt, tum  
ipsum Annuntiationis Dominicæ festum, tum in e-  
iusdem pervigilio solennis Archangeli Gabrielis,  
per quem Annuntiatio facta est, memoria. Sed audi  
reliqua apud Poëtam:

*Altera, tresque super stratâ celebrentur arenâ,*

*Ensis expertis bellica lata Dea est*

*Pallada nunc pueri, teneraque ornate puella;*

*Qui bene placarit Pallada, doctus erit.*

*Pallade placatâ, lanam mollire puella.*

*Discant, & plenas exonerare colos.*

*Vos quoque Phabaâ morbos qui pellitis arte,*

*Munera de vestris pauca referte Deo:*

*Nec vos turba fori sensu fraudata magistri*

*Spernite, discipulos attrahit illa novos.*

*Quique movet calum, tabulasque coloribus urit*

*Quique facit doctâ mollia saxa manu.*

*Mille Dea est operum: certè Dea carminis illa est,*

*Si mereor, studiis adsit amica meis.*

Sinon indignum est Deiparâ Virgine profanum  
Palladis aut Minervæ nomen, præsidia & suppetiæ,  
qua Poëta Minervæ affingit, ex vero Deiparæ Virg.  
conveniunt: quemadmodum exemplatum hæctenus

Qq 3

cumu-

cumulatè producta docuerunt, tū hoc sequentibusq;  
 producenda mensibus, affatim docebunt.

## I.

## Adolescens lethali morbo liberatus.

Atque ut ab illa ipsa XIX. Martii die, quam Quin-  
 quatriorum Marianorum primam statuimus, ordia-  
 mur: Laurentius Zabrodzki, è Polonia quidem ori-  
 undus, ideoque homo catholicus, sed in acatholico  
 pago Pilsen, duo circiter millia Passuum Lindā dis-  
 sito, inquilinus & pastor, teste conscientia retulit,  
 quod etiā suo tempore ac loco, presentibus quibus-  
 vis testibus, iurejurando confirmare paratus est, Io-  
 annem Karwowski adolescentem, voto ab se, no-  
 mine ipsius Lindam nuncupato, quamvis catholicus  
 non esset, sanitati esse restitutum. Rastemburgo is e-  
 rat oriundus, & cum patre victore ad dictum pagum  
 commigrarat. Ibi morbo correptus ita est, ut sex  
 menses integros pro deposito haberetur, & non nisi  
 matris suæ manibus gestari, aut loco moveri posset.  
 Quæsitæ undique sunt remedia, adeò, ut pro homi-  
 num illorum rudium æque ac infidelium more, saga-  
 rum quoq; & pythouissarum implorata fuerit opera.  
 Verùm cum ne ista quidè prodesset mater, quæ mira  
 Deiparæ Lindensis opera, atq; in depellendis homi-  
 num morbis vim, id loci posita ignorari non potuit,  
 quanquam catholica non esset, dictum Laurentium,  
 tanquam hominem catholicum accersit, atque ut fili-  
 um suum jam planè deploratum. Divæ Lindensis of-  
 ferat, infimis precibus obsecrat. Fecit ille, quod ro-  
 gabatur, & votum nomine ægroti Lindam, quæ po-  
 tuit,

tuit, fiducia ac pietate concepit. Ab eo voto confestim æger revalescere ac pedibus etiam niti cæpit, ut intra hebdomadam comitari Laurentium, & quidem pedes, Lindam usque, haud gravatè potuerit. Lindam ubi venit, & sacram Ædem pro more ter circum obiit, ipsam tandem Ædem ingressus, præeunte Laurentio, salutationem Angelicam in genua provolutus recitavit; eodemque momento viribus ita integrè restitutus est, ut omnino sanus atque vegetus domum regressus, etiam opificio, ac cuivis alteri operi, operam manusque suas possit admoveere.

## II.

## Mulier gravi dentium cruciatu levata.

Eadem die atque loco, eodemque prorsus conscientie testimonio retulit idem Laurentius, dicti adolescentis matrè, filii exemplo permotam, non dubitasse in suo quoque morbo à Deipara Lindensi, opem implorare. Immani dentium cruciatu exagibat, cui nullum usquam reperiebat levamen. Minus erat periculosum, sed nihilominus peracerbum malum, quod nullam diu nocturnè partem quieti relinqueret. Cujus sensus, què magis ipsam pertentabat, eò magis ad opem, non jam per alium, sed per seipsam à Deipara Lindensi postendam compulit. Ipsa proinde adeundæ Lindæ, honorandæque DEE Matris votum concepit; & exinde cruciatu illo soluta, ut voto quoque exolveretur, proximum Deiparæ festum opperiebatur.

## III.

Mulier gravi capitis, faucium, brachiorumque dolore liberata.

Eodem prorsum die, non quidem Lindæ, sed Resselii in templo, Deiparæ Lindensis singulariter in se beneficentiam prædicavit Catharina, Ioannis Ertman in Robawen vicino pago coloni uxor. Quatuor circiter hebdomadas continuis juxta ac acerbissimis brachiorum, gutturis, capitisque doloribus exercita, nusquam nisi ad Divam Lindensem præsidii causâ se vertit. Voyet Imaginem ad lacram ipsius Ædem, quàm posset, celerrimè, ab se dedicandam. Repentè omnis dolor resedit; ut, quæ graviter hæctenus decubuerat, continuò surgeret, & quæ liberet, facilè deambulare.

## IV.

Pectoris, viscerumque doloribus, remedium Lindæ ab hæretico quæsitum.

Ad VIII. Calend. Apriles (qui xxv. Martii dies est) celebrabatur Romanis, ut ait Macrobius (a) *exordium letitiæ, quem diem Hilariæ appellabant. Celebrabantur autem Hilariæ, ut in Alexandri Severi vita meminit Lampadius, in honorem Matræ DEÛM. Et quid fabulosa DEÛM Mater Cybele, ad veram DEÛM Matrem MARIAM? proinde quid veterum Hilariæ (quantumvis præ maximâ populi lætitiâ, quovis è populo insignia cujusque dignitatis liberè ac impurè mentiente, internosci magistratus à simulatore vix posset, ut in commodo innuit Herodianus) ad*

(a) Saturn. 1. cap. 21.

ea, quibus mundus hac Annuntiatae Virginis, Incarnati- que Verbi die redundat, Hilaria? Ecclesia sa- nē Græca in Menfis, die hodierna vix aliud magis, quàm gaudium, hoc est *Hilaria*, ingeminat. Nam, vel in uno Angeli Gabrielis & B. Virginis Dialogo, quem è Calamo S. Ioannis Damasceni excerptum, multis hujus diei horis Ecclesia illa decantat, quid gaudio frequentius? quid lætitiâ uberius? Principiò ode primâ invitatur Deipara ad audiendam Angeli vocem, lætitiâ plenam. *Audi filia, plenam lætitiâ Angeli vocem; nam tale tibi gaudium monstrat, quod nemo potest effari* (a) Deinde ipsa Deipara, audito Gabrielis nun- tio (b) *Dum haurio, inquit, ô Gabriel, tuorum ad me ver- borum latissimum sonitū, divinis profecto lætitiis tota red- undo. Nam gaudium nuntias, & quidem gaudium, quod nulla finiat dies. Adhæc eadem Deipara (c) postquam Archangelum gratulantem audierat, Tu mihi, inquit, iucunda, & prorsus divina indicas nove; id quæ cum accla- matione & plausu: vel ut citra paraphrasin à Wagne- reckio adhibitam, nudè interpretemur, iucundum E- vangelium, & divina præconia, mihi nunc proclamas. Quibus Angelus respondens, vix aliud, quam ex usi- tata lætantium formula, identidem *Gaude, gaude, vel, latare, latare*, ingeminat. *Latare, inquit, ô altitudo**

Q. 95

MA-

(a) apud VVagnereck. num. 298. ἀκυσον θυγατερ τῆς χαρμώσουρον φωνὴ τῆς ἀγγέλου χαρὰν γὰρ μηδέ σοι τῆ ἀνεκλάλητον (b) ῥημάτων σου τῆς φωνῆς γαβριήλ, τῆς χαρμώσουρον δεξαμένη, τὸ φροσύνης ἐνθέου πεπληρωμαί. χα- ραί γὰρ μηδέιο, ἢ χαρὰν τῆς ἀληκτου (c) Ode 7. Φαίδ: οὐ εὐαγγέλιον, θεία κηρύγματα, νῦν κραυγάζοιο μοι.



MARIA, *latere profunditas; latere, &c.* (a) Denique in Dialogo imponens Deipara, Angelum, verbis huiusmodi, quæ gaudii atque exultationis plena sunt, ab se dimittit (b) *Exhilarata sum sermonibus tuis, & te Oratorem agnasco ab ipsa submissum veritate: es enim nuncius gaudii latè patentis, ut cenis fructus ad omnes omnino pertingat. Quæ affinia proflum sunt iis, quæ in sua illa divina Ode, apud Zachariæ ædes B. Virgo de hoc ipso Incarnationis mysterio agens cecinit. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Istius gaudii, exultationis, atque Hilariorum particeps inter alios, hæc ipsa die satagens esse, quamvis hæreticus, Stanislaus Baginski ex Olszewo Reinen- sis in Ducatu municipii pago, filius Martinus, sex minimum leucarum iter Lindam usq; non tam gradiendo, quàm ob vim morbi reptando ingressus, pridie festi Lindam accessit; & tum illo tum postero die non preces duntaxat, sed quædam è cera donaria, B. Virgini pro sui incolumitate obtulit. Auditus sit, nec ne, haud constat; neq; enim ut tot jam allata exempla docent, ipso in loco audiuntur. Quemadmodum enim plurimi simul ac vota domi conceperunt votorum compotes ætutum ferunt; ita quidam, neque, tum, neque ipso in loco, sed vel in reditu, vel domum reversi, quod postulârunt, assequuntur. Et ut iste non assequeretur, mirum non esset, quia præter aliorum etiam hæreticorum morem, admonitus, ut qui à B. Dei Matre salutem corporis posceret, de salute animi per fidem catholicam magis sollicitus esset, obti-

(a) χαῖρε (b) ἄδου σε τοῖς λόγοις, φαίνη μοι ἀλλοθείας εἴτως. χαρᾶς κούης γὰρ ἐλήλυθαι ἀγγελῶ.

natio in sua secta visus est. Præter aliorum, inquam, morem, quia plerique etiam longius in Ducatu positi, nisi aut vi Prædicantium, aut quorundam imperio prohiberentur, volentes lubentesque fidem catholicam, vel ob tanta B. Virginis Lindensis beneficia atq; prodigia, amplecterentur. Quorum quidem prodigiorum etiam ille testis fuit; qui, quam sanitatem (etiam per emptam multo ære medici, præsertim apud Rastenburgum operam) obtinere non potuit, obtenturum se à Diva Lindense minimè dubitavit.

V.

**Febris & veneficia, ope B. Virginis Lindensis depulsa.**

Ad eandem Hilariorum divinorum celebritatem, ob difficultatem & prolixitatem itineris, non nisi postero die affuerunt. Iustina Stephani Rokosiewicz ex Bransko in Subhlyvania oriundi, sed tum in Sahlstren Allenstein, ditionis pago, commorantis uxor, ejusdemque filia, adultæ jam ætatis puella. Vtraque singularem Diva Lind. opem in morbo experta, conscientiam testem, præsentibus atque audientibus pluribus, (quos inter fuit etiam Nobilis ac Generosus Vir Dō. Samuel Raba) appellavit. Ac mater quidem præteritam ætatem integram, cum gravi ac periculosa febre fuit conflata; filia verò, ædium vicinarum limen, cui, uti postmodum patuit, maleficia cum aquis suffusa erant, fortuito prætergressa, iisdem maleficiis perstricta, totam hyemem miserandum in modum cruciata, ne pedibus quidem consistere potuit, sed parentum manibus, quoties opus erat, gestari atque locum moveri necesse habuit. Cæterum ubi votum, quò

quò se ad proximum Annuntiationis B. Virginis festum Lindæ affuturas obstrinxerant, utraque ritè nuncupavit, repentè tum mater à sua febre, tum consequente deinceps tempore, à beneficiis curata filia fuit.

## VI.

Oculus gravissimè affectus, per B. V. curatur.

Tricesimâ die Martii advenit Lindam Gutstadio, ubi pellionis opificium exercebat, Daniel Hoffman, Allensteino oriundus; qui conscientia teste, præsentibus non paucis fide dignis, edixit, oculum sibi Deiparæ Lindensis ope restitutum. Sub medium circiter Novembris proximè elapsi, ex oculo præsertim sinistro laborare repentè juxta ac gravissimè cepit; ut neque cernere, ne dicam versare ex usu acum, neque pruritus ac dolorem, qui oculum infestabat, perferre amplius posset; parumquè abfuit, quin præ animi, quæ jam orta erat, impotentia, ipse sibi oculum vi erueret. Interim reddita non nihil animo quiete, nova lux et jam animo oboriri visa, quâ planè advertit, non aliunde sibi, quàm à B. V. Lindensi expectandam opem. Surgit proinde, & ad secretioraedium solus se recipit, ibidemquè provolutus in genua, non peregrinationem modò, verùm & sacrorum Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramentorum apud Lindam Marianam usum, si sanaretur, vovet. Sanatus extemplò est, & voto, quàm primùm licuit, ut defungeretur, contendit.

VI

## VI

Spinæ dorsi cruciatu aliisque doloribus levatus  
hæreticus.

Pridie Calend. Aprilis, *Lavatio* Matris Deûm a-  
pud Gentilem Romam agitabatur. Nam, quo pri-  
mum die ex Asia Romam fuit advecta, in Almone  
fluvio per sacerdotem est abluta; qui mos per singu-  
los deinceps annos frequentatus. De quo Ovidi-  
us (a)

*Est locus, in Tiberim, quâ lubricus influit Almo,*

*Et nomen magno perdit in ænne minor.*

*Illuc purpureâ canus cum veste sacerdos*

*Almonis Dominam sacraquæ lavit aquis.*

Iamante fabulosam, cum suâ Cybele Romam ex-  
plosumus. Apud Lind. Marianam non hac duntaxat  
die aut mense, verum perennis est, non Matris Dei,  
sed per Dei Matrem peccatorum lavatio. Quam, ô si  
perinde atq; corporû sanitatē ibi quærent hæretici!  
Ex iis, hac ipsâ tricesimâ primâ Martii die, Lindam  
cum uxore accessit sarror è pago Schœnfliis, duabus  
inde leucis abjuncto; qui cum aliis morbis variis,  
tam immanibus Spinæ dorsi cruciatibus miserrimè  
afflictus, octo minimum hebdomadas lecto se non  
potuit commovere. Postea tamen quàm Lindæ visi-  
tandæ fecit votum, ad vires suas rediit; ut exinde  
Lindam accederet. Ibi quanquam hæreticus, Aram  
majorem ter pro more obiit postmodum coram in  
genua prostratus, supplex, uti ipsi spectavimus, gra-  
tias egit.

CA-

(a) lib. 4. fastorum.